



cclesiam Christianam nostris temporibus ab infidelibus reuelationis sacrae contemptoribus magnopere affligi & turbari, pluri- mi fideles ecclesiae ministri & veri Christiani confitentur & con- queruntur. Reuelatae religio- nis contemptores variis metho- dis vtuntur, quibus veritates re- uelatas subruere conantur. Quidam aperto Marte eas impugnant; quidam fundamenta eius bene posi- ta & firmata, opinionibus obscuris & fallacibus inuer- tere laborant. Fuerunt quidam, qui expressis ver- bis negarunt, in Mosis libris contineri vaticinia, quae Christum mundi redemptorem praedicerent & de- scriberent, opinantes, vaticinia illa esse de aliis homi- nibus intelligenda & iam dudum in V. T. impleta. Vnde euidenter sequitur, scriptores N. T. verum Mosis sensum ignorasse, & eius verba suo saltem sco- po accommodasse. Fuerunt alii, qui veros sensus historicos negare, & in figuras & allegorias conuertere annisi sunt, eo scopo, vt verum & diuinitus inspira- tum sensum auferant, & alium fictum in eius locum